

729. Non prohibetur lege civili quominus aliqua instituta pia aequirant et possideant bona sive mobilia, sive immobilia ; illa collegia obtinent suas litteras incorporationis civilis, quibus determinatur quanti valeant acquirere. Hæc restrictio juris possidendi adversatur Ecclesiæ, cuius est judicare quanti in ligeat ut suum finem supernaturalem obtineat.

730. Quærunt auctores apud quem remanent dominium bonorum ecclesiasticorum.

1º Dominium est facultas disponendi de re tanquam sue, quatenus juris ratio patitur. Dicitur *a) de re*, id est, de substantia rei, vel de aliquo ejusdem emoluimento, vel de utroque ; dicitur *b) tanquam sui*, id est, pro libitu et in proprium commodum, ceteris exclusis ; dicitur *c) quatenus juris ratio patitur* ; hæc enim facultas disponendi coaretari potest vel a lege : sie, v. g. minor, etsi snorum bonorum sit dominus, non potest tamen ea alienare ; vel a privati voluntate : v. g. si quis fundum legat alteri sub conditione ut legatarins illo non fruatur nisi *l* annum.

2º Dominium communiter distinguitur in *altum* et *humile*. Dominium *altum* seu *publicum* definiri potest : facultas quæ supremæ auctoritati competit disponendi de bonis privatorum, v. g. de agro tuo ad iam construendam, sic exigente bono publico. Est dominium *improprie dictum*, quia Res publica non habet ius disponendi, pro libitu, de bonis subditorum, sed ratione tantum publicæ necessitatis vel gravissimæ utilitatis, cive indemni facto.

Dominium *humile* est dominium privatorum, quod est *plenum* seu *perfectum*, vel *semiplenum* vel *imperfectum* ; dominium *perfectum* confert rei proprietatem, commodum ex usu, et jus percipiendi fructus ; dominium *imperfectum* est illud quod uno ex prefatis juribus caret. Mare, Institutiones Morales, vol. I, num. 841.